Paed Th. 68.4

R

aed. Th. 4° Discursus
68
~~17c 9~~ +
68 20
<36632006520011
<36632006520011
Bayer. Staatsbibliothek

DISCVRSVS

De recta Juventutis Inſtitutione Et utiliter peregrinandi ratione.

PRAGAE,

Cum Licentia Superiorum

Ex Typographia Seminarij
Archiepiſcopalis, Anno 1635.

RATIO VITÆ, CIVIUMQUE BONITAS
EST REGNI SALUS.

Unde enim Suevit

REIPUBLICÆ ITERARI PERNICIES,

Inde Sueſcet

EIDEM PERENNARI QUIES.

Dum nimirùm in hoc Regno

Privatim collati, noxieuè accepti

CONGIARII

Reddita pars unica,

OCCASIO SEMEL NEGLECTA ITERUM REVERSA,

PUBLICAM

Singulisq́; ſuam reddiderit ſalutem.

NEC NIMIAE

Priuatæ opes manſerint Regno Lues:

Anno 1634. in Aprili.

PRÆFATIO.

CVm Anno *1630.* in imperiali Ratiſponenſi conventu, noxiam Animorum difformitatem Curioſiùs conſiderarem, cauſamq; facilè credere poſsem: Quod nō boni Affectus Imperio incumberent: *moderatio* apud multos & *Diſcretio exularent:* Sequentē dicursū per otium ſcripſi. Recordabar nimirùm ex P. Nicolao Trigautio Societ: Jeſu inter Sinarum Apoſtolos nō infimo, Vaſtiſsimum illi⁹ gentis Regnū, in quo quinquaginta octo circiter Animarum Milliones ex totidem aureorum in capita cenſu (exceptis feminis, pueris, adoleſcentibus, Eunuchis, & pacis quidem tempore decies centenis millibus militum) numerantur, pluſqnàm bis mille annorum, niſi quod Nanchinum aliquando rebellaverit, ſed etiam translatâ Pequinum Regiâ ſcelus in hodiernum uſq; diem luat, pace frui. *Publicam* autem *Longæuamq; hanc pacem* ex eo continuari, quód non niſi Boni, & in publicis Ludis probati ex Virtute Viri, quorum aliquando in una Ciuitate quatuor vel quinq; millia examen ſimul ſubeant, ad honores omneſq; dignitates gradatim admittantur: Contemptis, qui Ethicæ, hoc eſt Diſcretæ Vitæ potiſſimum ſtudium, (*550.* ante Chriſtum Annis a Corfutio quodam elaboratum) & in Viros erudiri contempſerint. Obtineri autem etiam hoc morum ſtudio, ut benè educati unum Solum Numen, quod Cœli Regem, ſiue cœlum & terram vocant, venerentur; Cæteri Idola adorent.

Atq; horũ ritis etſi ſint inimici quidem , & nouarũ rerũ ſemper ſtudioſi: contra illorũ tamen vnanimem, & quaſi contubernalem prudentiam & virtutem nihil unquàm effectuare queant rudes diſciplinæ contemptores.

Hic quoq; *ſcopus* diſcurſus mei eſt, vnicam Diſcretionis Virtutem cæteras univerſas complecti Comparari autem ſolerti Juventutis inſtitutione, diligenti lectione, ſufficienti in Equeſtrium exercitiorum palæſtris exercitatione, linguarum ſtudio, & prudenti peregrinatione: multorumq; negotiorum adminiſtratione perfici : quæ Regnis pacem & Ciuibus felicitatem præſtet. *Mens* eſt hoc præſertim tempore, Regnumq; Bohemiæ Bonâ mente indigere. Ideoq; Caſu mihi his diebus in manus relapſo diſcurſu, non abs re futurum putavi; ſi perſuaderi poſſet: tot enormium in Bohemia malorum cauſam luculentum documentum eſſe malè directorum Judiciorum, & mancæ Diſcretionis, quod eam, in quo quis habuerit, in eo nunquàm peccauerit.

Conſuluerunt quidem, exacto Pſeudorege Frederico, Regni Proceres ſingula & varia, quæ Juſtitiam ſtabilirent, & œconomiam redintegrarent. Sacratiſsima quoq; Majeſtas multos abuſus ſuſtulit: multaq; ordinavit ſalutaria. Adultas tamen malas mentes omnes auferre neſcivit. Inde hæ Lacrimæ. Neq; pro poſteris Bonarum mentiũ, de quo agitur, Seminarium, cum facillimè potuit, ſiue verum pacis, quia Virtutum, ſtabilimentum inſtituit. Indeq; poſteris pro more ſeculorũ timendæ lacrimæ, quia Nobilis Iuventus negligitur. Nullum enim Regnum in Juſtitia ſtabilius, nullum in Oeconomia felicius, quàm in quo Ciues publicè priua-

timq;

timq; Boni fuerint. Nec apud Chriſtianos ex vſu fore difficile ſperaverim, cujus apud Sinas Paganos à bis mille annis facilis vſus continuatur. Vt non minùs jucundum ſit, virtuti incumbere, quàm apud Noſtrates operoſius Ruralis Nobilitatis Juventutem in Sordibus negligere, & quaſi ſylveſcere.

Verùm; modus & media Cap. 21. Suggeſta. Iterùm oblata, vel olim neglecta, denuò ad manum reverſa vltrò invitant. Vaſta nimirùm Fiſco addicta Pragæ Domꝰ aptiſsima Ludo, & hippodromi circulo foret. vnum verò, alterumuè ad Fiſcum relapſum Dominium pro ſumptibus ſufficeret. Sic Domus ad pares conatus neminem invitabit: Sed memoriâ æternâ malum vetabit, & quæ ex Civium Sangvine medullaq; conſtat, Civibus ſalutem reddet atq; exhauſtiſsimæ turbatiſsimæq; Reip: felicitatem reſtituet, & quietem perennituram. Sic improbæ Bellonæ, ſeú Vulcanei Martis, maliq; omnis, Sangvine Civium extrúcta officina; paciferæ Minervæ boniq; omnis, Civibus & Patriæ redditurũ Sanguinem & ſalutem fieret Seminarium. Nec Exercitus ſtipendijs, donarijsq; præ cæteris benè Emeritorum militum, in quem finem deſtinata ſint novi Fiſci omnia, multum decedet, quod aliunde breui fortunâ ſuppleri nequeat. Etſi (cum bono tamen publico) aliquis Priuatus fortè nõ neceſsariâ donatione carebit. Sufficit, ſi jam ante ter quateruè ampliùs diglutivit: Et quod hactenùs neglectum; Regni Juventus Nobilis, quæ fera inter feros nõ niſi ſubditis ex appetitu imperitare, tyrannizare, animoſq; in feros conatus attollere Ruri diſcit, Vnde tot ſubinde mala & ruinæ, Vera inter eos amicitia vix vn-

quàm; habebit in poſterúm, ubi ad Rationem manuducatur, & cedente in facilem uſum continuatâ conſuetudine, fiet, ut pudori damnoq; futurum ſit, Velut apud Cæteras Nationes & Gentes ipſas, hic nõ eſſe exercitatum. Fientq; ob continuatam conſvetudinem ſemper ambitiosè ſequaces, cũ nil aliud fieri viderint, quàm quod laudatur, & honores officiaq; confert. Hinc indubitata Regni ſalus, Procerum tranquillitas, Privatorum felicitas, & æterna Reip: quies; dum innumeri ſuâ ſponte Ciues inter fines Juſtitiæ ſeſe, alioſq; cõtinere, vltrò fore æquiſsimos, & prudentes agere Rectores, diſcent, omnemq; Rationis à Cunabulis nunquàm excidendam Diſcretionem imbibent; certò ſperari poteſt. Quæ omnia ex Diſcurſu patebunt. Pragæ B V.M. Annuntiationis die. Anno ſalutis 1634. relectus. Hæc verò Præfatio addita eſt die Dominicâ, quæ dicitur Judica.

DISCVR-

DISCVRSVS.

De recta Juuentutis Inſtitutione, Et Vtiliter peregrinandi ratione, *Vnde Regno pax, tranquilla Ciuibus felicitas.*

CAPVT I.

Regni ſalus eſt, recta Juuentutis in literis & moribus inſtitutio.

Tyrannidis conſervatio, literarum & virtutis extirpatio.

NObilis Juuentutis, quæ ſubditis & Magiſtratibus, aliquando præfutura ſit, recta inſtitutio adeô Regno cuiuis neceſſaria eſt: Vt *ſalutem publicam, Singulorumq; felicis & beatæ Vitæ tránquillitatem* ex eâ cum primis pendere, vel ex eo pateat; quod Tyrannidis conſervatio aut ſit literarum morumq́; extirpatio; aut eorum, qui ſub Tyrannidem coguntur, â literarum morumq; palæſtris repulſio. Sic Turca in Oriente imperat. Sic Arabs in Occidente annis octingentis imperitavit. Extirpat ille adhuc hodie, ſi quam Vrbem occupat, Scholas in primis omnes, collegia, Virtutum, Prudentiæq; palæſtras: conſequenter Nobilita-

tem

tem demetit. Supprefsâ nimirùm hoc modo omni Indole, ad ignorantiam omnes cogit; plebem eſse jubet, & ſecurè premit; quos literis & moribus imbutos, ex inſito latentis Generoſitatis ſemine, in priſtinæ libertatis & Juſtitiæ Zelum alioquin erigi, & recuperandi viam facilè inuenire prudentem & fortem; non ignorat Tyrannus. Arcuit hic omnes a Chriſtianorum Scholis & Eccleſiis, quicunq; vel Ambobus, vel alterutro parentū Arabe naſcebantur. Vt hoc modo Prudentiam & Virtutem, quæ juratæ Tyrannidis inimicæ & extirpatrices ſunt, & ex literarum morumq; ſtudio conſequi ſolent, paulatim tolleret: cum vno impetu euertere, periculoſum videretur. Hunnus quoq;, Gothus, Vandalus, & Similes cum partos Dominatus ſibi ſtabilire cogitarent; Academias clauſerunt: & Bibliothecas concremàrunt. Virtutem & prudentiam duntaxat ijs ſeculis in inertis animi abjectionem, & libertatis, ſuiq; ipſius neglectum tùm apud Generoſos & Martios Romanos, tùm apud alacres Gallos, Magnanimos Hiſpanos, & Callidos Afros conuertêre.

CAPVT II.

Continuatur argumentum.

REgni ergò ex contrariorum naturâ (etſi Dei cultum non attendamus) & pacis publicæ ſtabilimétum ſunt mores & literæ

Vnde laudabili Chriſtianorum more tot in orbe Academiæ florent, ex quibus paci Principes, bello Duces omni

omni tempore prodeunt. Multò tamen citiùs, & faciliùs poſſe prodire, quàm apud multos experientia docet: perſuadere hodiernis moribus, non facilè ſinet inveterata conſuetudo: ſimius multorum in filios amor, quod odium veriùs dixerim, non facilè permittet. Vel deniq; avaritia parentum, quâ filijs ſuis non theſauros theſaurizant, vetabit.

CAP: III.
Cauſæ non rectæ Educationis.

HInc eſt, quod multi domi neglecti: vel quod peiùs eſt, per domeſtica ſcandala (quæ tenellos animos leniter ſubeunt, canosq; comitari amant) corrupti: Vel, ſi dijs placet, non omninò inſufficienter manuducti, & ſat vigili Parentum curâ educati, ſaltem in diuturnioribus, quàm par & neceſsè ſit, deinde peregrinationibus Corporis animiq; vires aut per vecordiam negligant; aut per flagitia profligent. Spem parentum, & quam patriæ Principiq; expectationem ante diſceſſum fortè promittebat Indoles, turpiter eludant. Imò magnâ nummûm vi abſumptâ, nonnulli inepti ad ſagum, ineptiores ad togam, ineptiſsimi ad mitram, ad rem autem familiarem redintegrandam, regendamq;, ſi quæ vanis ſumptibus ſuperfuerit, planè inutiles redeant. Atq; adeò in omni hominum congreſſu, vel vanos, & præſumptuoſos, vel abſcænos, & ſcandaloſos, vel ita rudes domum, crudos, & inamabiles ſeſe exhibeant quidam, ut meritò quidem, ſed tardè deplorandi redeant ſuis. Et quod commiſeratione dignisſimum eſt. Sæpè necdum ij ipſi vanè deplorantes, ſi quem alium educati-

oni deſtinant, mali remedium adhibere ſapiunt. Falſo nimirùm amore, vel parcimoniâ nimiâ non permittente. Sperant enim meliora; unde multa corrigenda indulgent; nummis parcunt: & ſufficere, opinantur; utcunq; ſtudere, utcunq; pium, & qualicunq; Moderatore prævíſum eſſe: modo molliter filium tractet, vel ipſe ſerviliter ſubſit, vernaliq; ſalario ſit contentus. Sed ut taceã, ab huiuscemodi ſervilis animi vernis nequaquàm poſſe generoſam Indolem rectè manuduci. Certè furem, quàm fidem mavult, quicunq; rem magnam ſe lucratum eſſe putat, ubi filij Curatoribus fortè ſimplex pro more miſerorum ſalarium conſtituit, dum illi duplici indigent, niſi ſeipſos cum diſcipulo negligere velint, & domum Mulam reducere. Accedit huic falſarum opinionum agmini, quod equeſtria pugilumuè, aliaq;, quæ Nobilitatem decent, vel decorant ideoq; in tempore inſinuari debent, exercitia, et linguarum inſtitutioné ſtudijs miſceri; vel utrisq; damno fore, vel nimis laborioſum inconſultò opinentur. Imò hæc domi æquè poſſe fieri, ac peregrè, erronea conſuetudo plerisq; diſsuadet. Quaſi verò inter domeſtica ſincerioris Nationis ingenia, eiusdemq; ſimpliciorem rectitudinem non æquè, ac inter peregrinos promptioris calliditatis aſtus, ad mores noſtras nobilitas poſſet componi; ad equeſtres artes inſtrui; ad literarum, politices, ſtatusq; Rationem manuduci, ſi uſus obtineret. Imò meâ potiùs opinione, tantum abeſſe videtur, ut ſe invicem impediant ſtudia, linguæ, & exercitia, ut potiùs una alteris incitamentum eſſe poſſint, ſi ritè ordinentur. Loquor autem potiſſimum de Nobilibus tàm in toga, quàm in ſago Reipub: præfuturis.

CAPVT

CAPVT IIII.

Continuatur argumentum: et quæ mala in peregrinatione inde accidant.

ERror vero hic prætereà, & cùm primis ex eo procedit, quod earum virtutum Academiæ in patria nulla ſint, quarum comparandarum cauſâ tanquàm illotis manibus cum Agricolis in aulam, & ad huiuscemodi diſcretionis genus ſæpè attoniti ad Exteros confugimus. Vnde inſolens illa inſuetaq; vitæ libertas, quæ peregrè ultrò ſeſe offert, pluribus arridet: domi non malè educatis imponit, eosq; allectat: neglectos irritat, & inflammat. Adeò ut, ob quas virtutes utriq; emiſſi ſunt, ijs ſeriò pauci incumbant. & ſi quod domi bonæ mentis fundamentum iactum fuerit, vel à natura duntaxat aliquis bonus igniculus ſuperſit, is facilè retundatur, aut ſupprimatur.

CAPVT V.

Vti viri Magni rectè peregrinari ſciverint.

NOn ita Hercules, Ptolomæus, Achilles, Plato, ſexcentiq; Illuſtrium virorum peregrinati ſunt. Sed rerum omnium tales priùs notitias in patriâ inbibêre; animumq; ad Rationem, quantum licuit, obdurârunt, nè ſubitis, & in-ſolitis peregrè allecti vel confuſi in virtutum ſemitá deficerent, vel peregrinationis ſuæ fructum referrent nullum.

CAPUT VI.

Incommoda, quæ ex diuturna peregrinatione oriuntur.

ESto demùm nemo propheta in ſuâ patriâ: Vtròq; conceſſero; non æquè facilè domi, ac peregrè ad bonas literas, civilem moralemq; doctrinam, & prudentiæ elegantiam Nobilitatem inſtrui poſſe: ſi nimirùm domi adhuc inexpertæ diverſiones, æquè facilè foris, atq; ſub manu oculisq; Parentum, & in remota ab omni ſcandalo converſatione caveri poſſent. Non inficiabor, inquam, ſi domi deſit, qui juſtè manuducat, vel ipſum te diſcere pudeat, plùs te peregrè profecturum. Sed eſto quoq;. quòd qui diù peregrinantur, raró ſalventur. An quià (Chriſtianè intelligendo) libertati, largæq; conſcientiæ quidam ita aſſuefiunt apud Exteros, dum ad inſolitas voluptates, vel ipſius naturæ ſuæ, vel non ſanæ educationis beneficio ultrò ruunt? vel nimis ſtrictè educati pedetentim ab improbis trahuntur, ut domi deinde reſipiſcere, priſtinamq; vitæ innocentiam recuperare raró accidat? (politicè intelligendo) dum quidam in mundo diutiùs, quàm conveniat, vanè diſcurrunt; quòd alij interim eiusdem ſtatus, & ſpei Adoleſcentes manum domi ſtatim ad rem applicent, præcedente ſcilicet directione neceſſariâ, atq; ita gradatim aſſequantur, jamq; exercitati officia adminiſtrent; quando illi reverſi de notitiâ, & benevolentia in aula acquirenda laborantes, multùm inferiùs ſuum curſum incipere debent, etſi illis in multis rebus excellant: niſi forſan ſit favor, & potens aliquis, qui ſaltuatim altiùs collocet.

An

An deniq; (utroq; modo intelligendo) quòd ij tamen conſcientiam curent, eòq; minus ad alterutrum vitæ ſtatum Eccleſiaſticum, vel laicum determinare ſe ſciant; quò diutius peregrinati, tardiùsq; electionem concludere conati fuerint. Et quamvis Elegerint. ad certum tamen ordinem, vel officium antequàm ſe determinent; vita labitur; occaſio fugit; tempus volat; nec frigent; nec calent; nec æternam, nec temporalem felicitatem rectè curant; conſultandis rebus annos terunt; dùm fatua interim fortuna audaces, vel temerarios, & celeres exaltat. & Deus ipſe mediocriter ſcrupuloſos, ſed reſolutos, & actuoſos ad vitam in virtute optimam, & in facultatibus feliciſsimam nonnullos deducit. Tandem inquam, & cauſam admiror: cur Noſtrates apud Exteros plùs proficiant, quàm domi poſſint? & apud eoſdẽ non idem uſu veniat? An quia illi jam ſibi ipſis uſum meliorem, etiam pro Exteris domi ſuæ introduxêre? An quia apud Noſtrates uſum nullum invenirent, ſi ad nos ideò accederint?

CAPVT VII.

Rex bonis Miniſtris indiget: & uti pacatiùs, & juſtiùs regnare poſsit.

SVnt ergò apud nos quoq; Provinciæ, & Regna, quæ opulentâ Nobilitate copioſa, diverſarum facultatum Civibus abundant. In quibus Rex varijs, & plurimis Miniſtris indiget; quos vel in partem Regiminis, vel ad privata miniſteria aſſumat. Eô enim faciliùs regnabit, quò ſubditis, & Civibus plùs virtutis, &

bonitatis inerit. Eò æquiùs, quò miniſtri plùs prudentiæ, & ſolertiæ habuerint. Habebunt autem: quò eorundem educatio ab incunabulis rectior fuerit. Nam trahuntur à converſantibus mores: ingenia culta vireſcunt: & plures exemplo, quàm ingenio peccare, cum morum conſortio quilibet non diſplicere deſideret, mihi planè eſt perſuaſiſſimum.

CAPVT VIII.

Non eſſe ad Exteros fugiendum, ut diſcamus, quæ domi diſcere poſſumus. Et uti deinde utiliter peregrinandũ ſit.

VErùm: etſi Prudentiæ, Virtutisq; famam; bonæ vitæ laudem; & Regni officia Pleriq; ambiant, quibus ſors naſcendi elevatius ſupercilium impoſuit: aſſequi tamen non omnes ritè nituntur. Vnde Rex ſecuritate in ſubditis: Regnum commodo laborat. Ecquid enim ab Exteris duntaxat diſci res eas poſſe, nobis perſuademus: quarum partem potiorem ij ipſi in ſuiſmet laribus, minori ſumptu, & onere, acquirendi uſum jam pridem familiarem habent? Ecquid ad Exteros confugimus, ut noſtrorum Civium Mores, & ingenia, ſecundum quæ regi debent, noſcere diſcamus? Scilicet ut noſtræ Reipub: leges, inſtituta, conſuetudines, & cæteras Patrum noſtrorum virtutes nos ad normam revocemus, ab Externis repetendum eſt? quibus ipſis, cum ſimpliciori animi Rectitudine, & prudentiori ſimplicitate Noſtrates adhuc viverent, non ſolùm jure belli leges dedêre; ſed domi quoq; Civibus laudabiliter imperabant,

Cives.

Civesq; ſubeſſe meliùs ſciebant. Earundem virtutum fundamenta nobiſcum nata in pectore circumgerimus, & nonnulli adhuc hodiè excitare ità noverunt, ut opùs ſibi eſſe, non exiſtiment, fieri Extorres, ut boni Cives fieri diſcant. Neq; ab Externis quidquam repetunt, quâdiu à ſuis faciliùs idem habere poſſunt. Vbi tamen *Diſcretionis* jam gnari, literis, & moribus, linguis, & exercitijs imbuti, & in tantùm exerciti fuerint, ut foris facilè confirmare ſe valeant: peregrinari non dedignantur: ex oppoſitis aliorum vitijs ſuas virtutes clariùs intelligunt: errores, & varia hominum delicta ita percipiunt, ut eò cautiùs evitent. Aut deniq; in ſuæ inſtitutiônis complimentum adhuc quædam addiſcunt, quæ domi per tẽpus non licuit: cæteraq;, quæ impreſſi paſſim Tractatus de utili peregrinandi ratione ſuggerunt, obſervant.

CAPVT IX.

Quæ apud Exteros Germanus diſcere nequeat.

NOſtrorum verò Anteceſſorum morum Probitatem, ſimplicem vitæ Rectitudinem, in amicitijs Sinceritatem, animi Generoſitatem, ingenij Liberalitatem, hoſpitalem Humanitatem, in adverſis Fortitudinem, in bello Magnanimitatem, in pace Concordiam, in rebus afflictis Con-ſtantiam, in negotijs infucatam Æquitatem, in fœdere pactoq; fidem, in equeſtribus decurſionibus, & hippodromis Heroum Artes; & quibus id genus alijs Germanicis Virtutibus noſtra Antiquitas præ cæteris Nationibus ab incorruptis peregri-

nis

niſq; Authoribus commendatur, ex fundamento fruſtrà quæris ab Exteris: Etſi ſtabiliri apud eos aliquo modo poſſint, quæ Natura dictaverit, aut labore aſſecutus fueris. Quod ſi te neglexeris domi: foris per tot vices variati incognitiq; vulgi occaſiones, & Nobilium calliditates rudem adhuc neq; exercitam Indolem in peius trahet Libertas. Præſertim ſi nullo vel æquè cæco Duce in eam noctem directus fueris. Vt non illidas; propè inauditum eſſet: nè pereas, ſumptus, & labor duplex, nec abſq; periculo requiritur.

CAPVT X.

Cur variæ linguæ diſcendæ ſint.

His non obſtantibus, contra Maiorum inſtitutum quorum Iuventus non niſi ſub loricâ facilè patria excedebat, obtinent mores hodierni: Vt vel peregrinari; vel rudem, & ferè agreſtem manere, domiq; contemptim jacere oporteat. Neq; tamen planè ineptè: quòd alter abuſus jam antè obtinuerit, quo, in ſpem peregrè diſcendi, in noſtrorum temporum Iuventute pleraq; domi negliguntur, quæ noſtra Antiquitas nimiarum peregrinationùm inimica in tali conſideratione habuit, ut in publicis Sacri Imperij Comitijs Imperiali conſtitutione inter cætera caverit: Quemadmodum Principum filij inſtituendi, ut completo decimo quarto ætatis anno, præter vernaculam, callerent linguas, latinam, Italicam, & Sclavonicam. Ratio additur: ut ſingulis Populis, quibus præfuturi forent, proprijs linguis loqui ſcirent. Et rectè. Nam quantum ad ſubdi-

ſubditorum benevolentiam, quæ præcipuum Regni fulcrum eſt, atq; ita ad Imperij conſervationem conferat, ſi Rex, & Rectores proprijs ſingularum Nationum linguis loquantur, id quotidiana exempla loquuntur. Et Mithridates Aſiæ, & viginti quatuor Regnorum Rex, totidem linguas cum calleret, ſingularum Conterraneus, & Pater videbatur. Vbi è contrario, animorum averſionem cauſat, ſi Rex Vaſallo per Interpretem loquatur.

CAPVT XI.

Mala, quæ peregrinationes Germaniæ intúlêre.

IDeòq; laudabilem peregrinandi conſuetudinem non aſpernor: ſed abuſum eius corrigi poſſe, dico. Scio enim peregrinationem dici poſſe tranquilli otij, morumq; Civilium Magiſtram, & Sapientiæ Procreatricem. Si tamen corpus animumq; Capacem, neq, domi neglectum afferas.. Sanè laterem lavaret, qui contumaciæ perſuaderet: malignè faceret, qui peregrinationis fructus diſſimulatione præteriret. Qui etſi ſint maximi: neq; hic perorari poſsint; ubi de diſſuadendo peregrinarum parùm utilium linguarū curioſo nimiùm Studio agitur: Noſtra etſi Antiquitas non credebat, peregrinis moribus, & in peiùs ſemper reformatis vivendi Novitatibus, veſtiendiq; figurationibus admodum ſibi opus eſſe: Nemo tamen neſcit, ſanctiorem illlam Ætatem plus virtutum, & opum habuiſſe, cum minùs Curioſitatis, et Pompæ. Eandem victricem eorundem Anteceſſoribus leges, & viúendi Rationem præſcripſiſſe; Gallis, inquam, legem ſalicam; Hiſpanis Tauricam, Italis Ius Longobardicum;

 à quo-

quorum Poſteris noſtrum quidam ea tantum diſci poſ-
ſe, ſibi;,hodie imaginantur. Eadem cauſa erat, quod
nec per inſolentes noſtro ſolo merces; neque per cibos
non cibos, ſed gulæ, & luxuriæ irritamenta ab Indis,
Arabibus, Æmulisq; Vicinioribus Provincijs noxiè in-
vecta, noſtra Germania pecunijs, qui belli nervus eſt, neq;
bonis moribus, qui pacis vinculum, ita expoliaretur:
uti jam pridem omni ferè antiquo animi, corporis, pacis,
belliq; robore incauta quidem, ſed non nolens expoli-
ata jacet; ægerrimè in priſtinam germanamq́; mentem
reſurrectura. Vitijs nimirùm eorundem populorum
in noſtris laribus nimis pertinaciter irradicatis: Quorum
Provinciæ, & Regna, in Germaniæ perniciem, eiuſdem
potentiâ locupletata ſunt. Nam bella illa, eheu bella
Civilia, abſtulère, nec ceſſant auferre omne æs; quod ni-
mijs peregrinationibus, & vanitatum peregrinarum lu-
xui ſuperfuit. Et unde bella Ciuilia? niſi quòd Cives
non rectè inſtituti fuerint? Non recta ergo Civium In-
ſtitutio Patriæ eſt Pernicies. Sed quid ais? inquiunt. Tan-
tumnè peregrinatio, & mercium illatio malum Patriæ
infert? Hic vellem Mercatorum aſtutias, dolos, & frau-
des in lucem ponere: quibus incautam Germaniam ex-
ſugunt, ſuas patrias locupletant. Vellem cum tot Civi-
bus, Nobilibus, Jlluſtribus, perſonis. & Principibus, qui
annis partim quatuor, quinq́;, & pluribus per Europam
diſcurrunt, computus inire; quot Myriadas Centenaria
Talerûm annuatim ſuæ Patriæ ſubtrahant? vellem pere-
grino militi exprobrare, quot millionibus uno decennio
Germaniam, utinam non proprij interitus cauſatricem,
denudârint? Vellem cum Effeminatorum dementia ex-
poſtolare, qui liberalis, & Magnifici famam peregrè
apud

apud Ignotos affectant, quæ deinde tamen cum abſentia eorum ſimul perit; & in Aulam ſui Principis reverſi, ubi quàm maximè deberent, vel contemnunt, vel non poſſunt ampliùs ſumptus ſuo ſtatui decoros, vel neceſſarios ferre. Et quæ occaſio fuit uni ſoli Antuerpiæ, cum nuper floreret (unde et cum tot Civitatibus Hanſeaticis, alijsq; Imperij liberis, & totius Germaniæ Mercatoribus ratio aliqua iniri poſſet) quòd annis ſingulis ultrà centies, & decies quater centena millia aureorũ in negotijs, & mercibus controvertere potuerit; Niſi per nimium cum Exteris commercium, & peregrinationes non ritè inſtitutas, introductus luxus, & mollities Germanis pectoribus, ſi Corn: Tacito credimus, olim omninò inſueta?

CAPVT XII.

An hodiè idem domi poſsimus, quod potuêre Maiores.

APagè ergò cum iſtiusmodi temerarijs noxis! & feriò ponderemus, cum filij Sanctorum ſimus. An fortè, & Nobis in eadem Patriâ natis, ad easdem virtutes, & ſolertias viæ patere poſſint: ſi virtutem nimirùm, & rem ipſam magis attenderimus, quàm peregrinas virtutum ſpecioſitates admiramur? Niſi fortaſſe ſperemús: aliam Nobis alibi fore Mentem. Aut quam Natura negauit, à peregrina Regione poſſe infundi Indolem? Sed aliud ex adagio conſtat: quod,

Paryſios ſtolidum ſi quis transmittit Aſellum;
Si fuit hic Aſinus, non ibi fiet Equus.

Attamen Indoles peregrè excitatur? verum eſt. Eóq; magis:

magis: quò domi magis excitata fuerit priùs. Si torpuit: vel negligenter exercita fuerit. Satis efficiet qui ætate jam profectiorem in virtutum ſuperficie continuerit. Neq; enim ad ſoliditatē facilè perducet reluctantē. Niſi fortè tempus ſuperſit: Indolesq; valdè ſcitè, diſcretè, & conſtanter manuducatur.

CAPUT XIII.

De duabus peregrinationum inimicis Nationibus.

MIremur in Exemplum, Eoi, occiduiq; in Chriſtiano orbe Maris Accolas: apud quos tot jam ſæculis clavum rerum feliciter gubernant, & magiſtratus gerunt; quorum vix ullos ſol peregrinus uſsit. Niſi fortè, dùm munia publica obirent, vel arma tractarent. Jlli enim deſignatis familijs omnem ſuæ Regionis poteſtatem circumſcribunt, malunt ſuos Adoleſcentes jam Capaces, & fortè bonarum Artium non ignaros, ad infima planè munia applicare, deſcribendis quoq; diplomatibus, alijsq; levioris momenti ſcripturis exarandis adhibere: inde paulatim attollere: & ad ſing ılos gradus pro uniuscuiusq; talento ultró, & ob continuatam conſuetudinem, ambitioſè ſequaces ab incunabilis dignitatum ita manuducere; ut in ſummis Magiſtratibus cùm tempore conſtituti non ignorent, quid in inferioribus uſus obtineat: Quid leges jubeant: aut quid pro temporum rerumq; varietate ſalubriùs conſtitui debeat. Malunt, inquā: Juventam domi ſuæ exercendo docere, quàm ad tempus ſumptusq; fortè fallendos peregrè ablegare. Quòd non infimum mille ducentis annis durantis Reipub: fundamentum eſſe, non abſq; ratione creditur. Hi apud quos immenſi imperij moles, &

les, & arbitrium reſidet, non minùs, quàm *illi videri* poſſent, nolle alienarum Nationum inſtituta ſcire; moresuè aut Vrbanioris ingenij comitatem aſſumere: Ita tamen ex quotidianis diſcurſibus (etiam inter plebeios, & Agricolas) de materia ſtatus, belli, & pacis; de Magiſtratibus, alijsq; rebus, à pueris facilè informantur: dùm paſſim venalium libellorum patrio idiomate in hanc materiam ſcriptorum lectio accedit, acuitq́; indolem jam fermè naturalis iſti Nationi de regendo impreſſa opinio, quaſi ſinguli eorum ad Magiſtratus gerendos naſcantur: Vt domi eâdem ætate, quâ alij curioſe vagantur, manu ad rem miſsâ, aſſequantur inter ſuos, ut deinde foris alios regere ſciant. Quòd etſi cùm invidia, nec absq; querelis ubiq; obuijs: regunt tamen; ſeſeq́; conſervandi, & ſua ampliandi modum, & quid Æmuli Principatus poſsint, non ignorant. Vti Æmuli compeſcendi, debellandi, eorumq́; acinaces à ſuo ad vicini æquè ſibi fortè æmuli, iſtorumuè amici jugulum divertendi ſint: & uti per violentas ſuſpiciones ſaltem in neceſſariâ amicitiâ, ſimulatâ pace, fictouè officio continendi ſint, optimè nôrunt. Neq́; ſanè facilè Legatorum cuipiam, etſi alias nunquàm pedem extra patrium ſolum poſuerit, perſuadebis, aut ei impones, ut in ſui Principis præjudicium, niſi ſublateat maius tuum, quidquam admittat.

CAPVT XIIII.

Continuatur argumentum. Et qui alij absq; peregrinationibus ad Metam perveniant.

CVius ſolertiæ, & ambarum Nationum accuratæ dexteritatis cauſam inter alias potiſsimam eſſe puto,

quod

quòd de ſuarum Rerump: Conſtitutione et regimine, etiam inadvertenter ſæpè, ex more, vel pro negotiorum occurrentijs diſcurrendo filijs ſuis (qui quæ audiunt, diſcunt) quaſi cùm lacte conſervandi regendiq; notitiam ingerant priùs: quàm obtrudant, quæ apud alios uſus, leges, poteſtas, virtus, & vitium obtinent. Suarum enim rerum amantiſſimi de alienis minùs ambitioſè & raró diſſerunt. Neq; tamen ideò non penetrant aliena: cum ex uno oppoſitorum cognito alterum facilè cognoſci poſſit. Adeò ut defendere ſe jam ſciat, qui providere didicerit, nè vinci poſſit: etiamſi Æmulorum omnium privatos mores, & artes non omninò calleat. Diſcunt, inquam, iſti domi: ſi amici frigeant, quo igne ſinguli excitandi ſint. Si ferveant inimici, quâ aquâ (ex eâdem fortè vrna vel ſcrinio) refrigerandi. vel uti incendiũ in proximo vcalegonte foveatur, aut finiat. Non laudo omnia: nec omnia reprehendo: neq; narro: ſed quædam inſinuo, ex quibus cætera conijci poſſunt: quæ praxis domeſtica iſtis Nationibus pro ſtatuum ſuorum conſervatione, pacatoq; Reipub: regimine ultró, & abſq; nimijs per mundum vagationibus, ad manum ita ſuggerit, ut cum ſuâ utilitate ea non ignorent, quæ alij tanto labore & ſumptu cum nudâ ſæpè jucunditate diſcunt.

Vt non ignorent, inquam: Quantum æs ſuum, publicis nonnunquàm ſtatutis, & pragmaticis ſanctionibus (ſi uſus vacillet) â nimio luxu, & peregrinantium Curioſitate vindicatum apud alios Principes, eorumq; Miniſtros valeat: quorum vel amicitias, & auxilia ambiunt, vel hoſtilitates metuunt. Nihil deniq; neſcire videntúr; quod Ratio ſtatus, Politices conſervatio, ſalusq; Reipub: requirunt, Ottomanici Imperij Miniſtros huc quoq; refero.

refero. Neq; enim tyrannicè omnia agunt, vel caſu imperant. Huc in Jugis Alpium Dominatricem Plebem: quæ non omnia, nec tantum ſuis viribus lociq; Naturæ fidit: quin per medium impolitæ etſi Educationis Ruſticitatem Europæ Potentatum amicitias captare domi addiſcat: imò ad fœdera cogere, & ad donaria (ne tributa dicam) certatim conferenda impellere. Huc non pauci in noſtrorum Principum Aulis referendi: qui vix, aut non diù, ad modum tranſeuntis peregrinam glebam calcârunt; & tamen cùm tempore, & exercitio Domeſtico civilis doctrinæ ſcopum, atq; ab iſthinc pingendis literis, ſollicitandis negotijs, aut armis ab infimo vel nullo gradu exercendis, viam ad ſummos uſq; honores, & opes gradatim invenêre. Ecce conſummatum in peregrinis Scholis Theologum, vbi ad domeſticos hæreticos redierit, facilè confundi, & Oſtentui exponi. Quod vniverſalia, etſi vtilia quidem, & delectabilia magis, quàm particularia, & in vſu, & abuſu, practica didicerit. vel ſi etiam hæc. non tamen ad id, quòd abuſus obtinet, ob non ſatis conſultam timiditaté, nè delectaretur, manuductus fuit. Sic non ita pridem, literarum cæterarum Rudis, ſed inſtatutis patrijs, & ſcripturâ vernaculâ exercitus cauſarum Patronus conſummatiſſimum Juriſperitum ante tribunal ad muſam declinandam abire juſſit. Sic Anus quædam hæretica magnum Theologum controverſias docuit. Sanè tela prævisa minùs feriunt. Et non niſi bonus, vbi malus eſſe inceperit, peſſimus erit: Rapimur enim maiori impetu ad incognita. Quæ ſi priús audita vel viſa, ad ſenſum deindè vel occaſionem ſenſus, minùs vehementer movebunt humorem. Non dico, mala eſſe facienda: ſed ad ſecuriorem cautelam, ſciendæ.

CAPVT

CAPVT XV.
Cauſæ exigui profectus in Educatione.

QVantò itaq; ſolidiùs utramq; ſupradictam Civilis Doctrinæ partem, hoc eſt, Sua priùs, Aliena deindè penetrandi induſtriam, & ſecundùm eam gerendi ſe ſolertiam, literarum, & peregrinationis amans Natio acquiret: ſi conſuetudini in hac re nō ſatis conſultæ apud plures diſſuaderi poſſet? Nam velle peregrinari deberent omnes, quibus facultates permittunt. Intempeſtiuè, necdumq; ſatis capaces; Nolle. In quo Parentum error ex eo patet: quòd utiliſsimos ſumptus, qui in liberorum rectâ Educatione domi faciendi eſſent, ita parcè erogent, ut Nemo Aptus eum laborem gratis ſubire velit. Nam amant præmia Virtutes, & ubi minor remuneratio, ibi minùs virtutis eſſe amor proprius perſuadet. Ita ut nobiliſsimo Educationis Exercitio quodvis utilius officium, tanquàm honeſtius præferatur. Malunt inquam, nonnulli Parentes, qualem qualem Filiorum Inſpectorem, animi ornamenta negligere, & metalli ramenta aliquot ſalvare, quo ijs peregrè deinde ituris eò plus tribuant, quod dilapident. Alij verò adeô inconſultè domi profundunt, omniaq; filijs indulgent, ut non ad virtutem, ſed proterviam erudiri videantur. Quæ quæſo, maior fatuitas; in corporis proprij, vel filij ſplendorem, aliasq, voluptates annuatim forte tria millia expendere: in animi veſtimenta vix trecenta? Nempè ſenſualies hi ſunt, & ſuorum Corporum, quæ cum brutis communia habent, mancipia. Animi præſtantiam, quâ Angelis ſunt ſimiles, nolunt intelligere: Ideoq; nec Reipublicæ ſalutem, neq; Principis ſervitium curant. Filij quoq;

quibus

quibus vermis ille non eximitur, in ſuum damnum errant: quod pudeat, domi diſcere, vel videri hoc ignorare, quod pares ſciunt. Malunt ſemper, & quò diutiùs, eò verecundiùs manere ignorantes; quàm ſemel neſcientes videri. Fortè indignantur etiam maleferiati iſti, virtutes à Natura ſibi non tribui, quæ in ſaniori Manuductione Juventutis multò ære et ſudore conſtitêre alios. Niſi maúis dicere, illorũ vitia multò maiori labore, periculo, & ære conſtare; quàm horum virtutes conſtent.

CAPVT XVI.

Continuatur argumentum. Et fructus rectæ; mala neglectæ Manuductionis quædam recenſentur.

ACcedit alia Parentum, & Liberorum maleſuada impreſſio. Domi fieri non poſſe, quæ peregrè ſuâ ſponte ſucceſſura eſſe, ſomniant. vel literis, quibus incumbunt, officere cæterarum Artim, morum, & virtutum exercitia, quæ Nobilitati propria ſunt. Cuiús tamen contrarium in praxi apud multos adeò verum eſt; ut accedente ordine, & diſcretâ Manuductione, invicem potiùs plurimùm iuventur, & promoveantur. Quæ impreſſio apud pleroſq; Parcentes jam obtinuit (loquor autem de ijs, quibus media non deſunt) vt non omnes de idoneis earum Rerum Magiſtris in Patria magnopere laborent. vel ſi laborant. diſcutiendis ſalarijs, & ſumptibus, tempus, occaſiones, & Zelum, quem fortè quis affert, labi permittant. Imò ita ſupprimunt, & verniliter habent,

bent,

bent, vt animo cadant, & ab ipſiſmet Manuducendis cōtemnantur. vnde conſequitur, vt quando ocij, vanorūq; luſuum adhuc ignari Juvenes ad animi corporiſq; virtutes, quæ diſpoſitis inter literarum ſtudia horis, loco honeſtæ Recreationis, & paulatim in faciliorem, conſuetudinem, quàm ſit ipſa inanis Recreatio, cedere poſſent, rectè manuduci nequeant.

Et ſanè. Nonnè videtis, *Filiolos veſtros ſponte ſuâ rapi ad ludendum globulis, & latrunculis? ædificare domunculas? equitare in arundine? militem conſcribere? aciem inſtruere, & confligere? Cane, equo, & aprico Campo delectarj? luctas vltrò exercere? Regem ſibi conſtituere? in ſubditos alios, alios in magiſtratus, Regiſq; Miniſtros, atq; ità ſummariam Rempublicam,* Duce Naturâ, *ordinare?* Hos in adverſum cogere; Naturæ vim inferre eſt. Negligere; filios odiſſe, & Reipub: damnum inferre eſt. Sed eſt aliquis, qui iſtis modicè, vel nihil delectatur? literis inhæret? roſarium rotat? pingit? philoſophatur? Eccleſiaſticis libentiùs adeſt, quàm militibus? Eadem hic Ratio eſt. Permitte eum ſibi. Et, vt tùm literis, tùm armis, tàm in Ecclæſia, quàm in foro Reſpublica rectè ordinetur, & gubernetur à Poſteris, & quò eiusmodi ingeniorū naturalis inclinatio, & Indoles feruntur, nō minùs diſcretè ab earum rerum Experto manuduci; et abſq; malitia fundari cúrato. Hos autem, & literis incumbere oportet: & moribus tum Civilibus, tum Chriſtianis imbuere: & ad militares, vel forenſes artes, vel vtroſq; ſimul ita manuducere; quemadmodum ab Indole (quam primis Rationis annis cognoſcere vnicè refert) capaces fúerint. Sint ergò pueri Nobiles: habeantq; ſua tempora diſtincta pro ſtudijs primū. Alterum pro Eſu, & Re-

creati-

creatione. Tertium pro ſomno,& quiete. Recreationis tempus inſumunt communiter, ut ſupra apparet. Poſſet autem eâdem facilitate,& iucunditate fieri, ut Trunculis ſive maſculis luderẽt,quibus acies inſtruere,vel iócando ita addiſcerent, ut multa intelligerent in militari diſciplina, & quaſi prælium ordinare,antequàm ſcirent, quid faciant. Domunculas ædificant? ſit,qui pro captu eos dirigat: & Architectonicam ex improviſo apprehendẽt. In arundine equitant? Et hic, multa pueris pueriliter dici; multa in habitu corporis oſtendi; & dum maiores fuerint, ad equitandi artem in veris equis moderata principia dari poterunt. Militem conſcribunt? fiat.& munia diſtribúantur; & qui, & ad quid ſinguli apti, vel inepti ſint; doceantur. Aciem inſtruunt, & confligunt? addu cantur coæquales, ut plures ſint: inſtruantur & ipſi,quẽadmodum rectè omnia agant: præmia diſtribuantur,& pœnæ: maximè,cum honore,& pudore coniuncta. Cane, equo, & Campo delectantur? ducantur pedes,in Rheda, vel equis (vti conveniens viſum fuerit) vel fictitia venatio, vel emiſſo ex ſacco lepore,vel quaſito etiam in agro, inſtituantur venationis partes,& requiſita declarentur. Luctas exercent? adſis: permitte: inſtrue: gladiolos ligneos, & inſtrumenta miniſtra: nequid nimis: ſed ita fiant; ut corpus exerceatur,& fortiter habilitetur. Regem eligunt? & cætera inter ſe,tanquàm Remp: ordinant? dirige: Cauſas et effectus ediſſere: omniaq; ad malum vel bonum Regimen, & politicam ſpectantia paulatim, & ſucceſsivè inſinua. Et ſic de cæteris. Sed diſtrahuntur? Amor literarum perit? & languidi ad ſtudia redeunt? Erronea perſuaſio hæc eſt. An non eadem inaniter,& ſine ductu faciunt, & malum habitum contrahunt: quæ

 utiliter

utiliter fierent, & cum maiori jucunditate; ſi ſcirent, nō niſi poſtquàm ſtudijs ſatisfeciſſent, hæc licere: & præmia & pœnæ utrobiq; eſſe propoſita? Si adhuc negas; & negligis. Fiet: ut Filius tuus in tenerâ illa, & ad utrumq; decorum, & indecorum adhuc flexili ætate neglectus, per otium, praxes rerum malarum, vel inutilium, pigritiam, mores ſtupidos vel inſolentes, ultrò trahente Naturâ, ita imbibat: ut exindè vires, & animus ad Generi ſuo digna, latentesq; virtutum igniculos excitandos, ſi non pereant; ſanè retundantur. multoq; tardiores effectus, & inferiores, quàm ſit innata Indoles, per quinquennium fortaſsis, & vix ſortiatur; quam potuiſſet per biennium: ſi ſimul atq; boni maliq; capax eſſe incepit, Peritiori Directori, modo inſinuato creditus fuiſſet: & ſodalibus iunctus; à quibus nihil vile, nihil ſuâ indole, ſtatu, vel Generi indignum audiviſſet; nihil vidiſſet, à bonis moribus, & vivendi quali quali prudentiâ alienum.

CAPVT XVII.

Pietas & ſcientia Nobili viro non ſufficiunt.

NEq; enim ſufficit, in liberalium artium, & Philoſophiæ ſcholis (licet novo planè, & divinitùs ab vno jam ſæculo inſpirato modo cum tanto in orbe bonorum virorum incremento) eruditè, moraliter, ſanctéq; inſtrui: ſed Nobilitas, quam Generis conditio ad Alta impellit, occaſiones autem facilè divertunt, requirit quoq; domi frenum Ipſaq; Reſpublica, & Vrbaniorum hominum Societas, præter literas & pietatem, cupi-

cupiunt ab rerum Experto aliquo Viro itâ erudiri Nobilem, vt cum lacte, quod aiunt, potiùs diſcant; quēadmodum Civis bonus, vel bonus Juſtitiæ Adminiſtrator, domeſticus Regi miniſter, vel Eccleſiæ bellovè miles, fieri debeat; quocunq; ſua quemvis Natura traxerit, quæ adiuvari, nòn cogi amat.

Hæc autem ſingula exquiſitè in ſcholis nec per cæteram multitudinem licent; neq; facilè eſt omnibus exequi. Neq; enim earum ſcholarum inſtitutum tale eſt: neq; multa cum decoro fierēt; quæ tamē alibi, vel ab alijs piè, Civiliterq; fieri, eis conſtat, qui cum Ratione diſcūt.

CAPVT XVIII.

Correctiones uti fieri, et uti variæ linguæ diſci debeant.

IDeoq; expedit; vt Induſtrius Moderator, qui privatim habeatur, tali ſolertiâ per exempla, ſimilitudines, iocum, riſum, aut ſeriò, diſſimulando, fingendo, occaſiones expectando, easq; arripiendo, ita leniter duritervè manuducat, prout res, ætas, & tempus poſtulârint, vt errores corrigat, & virtutes commendet. Donec tandem ipſimet ad Rationem manuducendi, eam paulatim percipiant, & vltrò incitentur laudabilibus, terreantur reprehenſibilibus, aſſueſcant labori, deſueſcant otio. Per quas in literis, & moribus nunquàm intermittendas, neq; difficiles exercitationes, quandoquidem modo inſinuato ita inſtitui poſſunt, vt partim Recreationis loco, partim ita fiant, quaſi non fierent; partim autem ex pro-

feſſo,ſtatutis horis continuentur; adduci poteſt aliquantulùm jam profectior ætas ad ſingulas linguas, ſingulis annis perdiſcendas, modo fortaſsis à Paſcaſio Groſipio in lucem nuper Mediolani edito, quo brevior nondum inventus eſt.

Dum adhiberetur nimirùm Expertus Magiſter, & continuum exercitium. Primo fortè anno linguæ Gallicæ (vernacula enim et latina per ſe current) ſecundo Hiſpanicæ, tertio Italicæ, & ſic deinceps, ſi quod aliud Idioma Curioſiori placuerit. Vernacula tamen, ſive Aulica locutione, lectìone, & ſcriptione curetur ante omnes exactiſſimè. Cuius perfectio plus vtilitatis, & authoritatis habet, quàm vt ab omnibus intelligi queat.

Teſtes mihi erunt tot Secretarij, Conſiliarij, Cancellarij, præſides, et qui adhuc altiùs, vel ad alios gradus præſertim maternæ linguæ eloquentiâ, dum et epiſtolâ aptè, & prudenter ſcribere noviſſent, aſcenderunt: tùm in Noſtrorum Principum Aulis, tùm maximè apud Exteros, quibus peregrinarum linguarum exigua cura eſt.

Et tu in primis Marce Tulli, Tu Demoſthenes, & tu Antoni Perez, qui in exilio priùs latinè loqui didiciſti (vt Sexcentos alios taceam, qui vernaculæ linguæ ſingulari beneficio in ſublime evecti ſunt) rem extra dubium collocate! Sufficeret autem feliciori ingenio, ſi medio fortaſſis anno eius linguæ Magiſtrum adhiberet, in quam præter latinam ex profeſſo incumbit. Continuaret deinde exercitationem cum púero aliquo aut famulo; non omnino omiſſâ lectione, & ſubindè adhibitâ ſcriptione. In primis tamen omnium eorum, in quibus erratum fuerit, non neglectâ, ſed libenter admiſſâ correctione. Ipſeq; cum eodem, ſi aptus fuerit, vel cum alio

Magi-

Magiſtro in cæteris ita progredietur; vt dum ſecundæ vel tertiæ operam navat, primam & ſecundam continuato cum famulis exercitio exactiùs perdiſcat Quid ſi ipſa Latina ob regularum certitudinem, dirigente Inſtructoris Diſcretione, & mediante diſcentis amore,& ſolertiâ, ab Adoleſcente provectioris nonnihil ætatis, mediocris etſi ingenij, vno vel ſesqui anno æquè facilè addiſci poſſit? Certè Adoleſcentem, ſi medio ſolo anno in Italia fuerit, nec aliam linguam audiat, quàmquàm nec ſcribat, neq; habeat, qui dirigat, Italicè commodè locuturum, experientia jam pridem extra dubium poſuit. Quidni ergò in latina idem fieret, ſi omnia iſta fierent?

CAPVT XIX.

Vti ſcientiæ, & artes diſcendæ ſint.

LInguis tandem iſtis quatuor latinâ,Gallicâ,Hiſpanicâ, & Italicâ (præter Germanicæ vel vernaculæ cuiusvis,quantum fieri potuit, perfectionem) totidem ferè annis, nec impedito bonarum artium ſtudio, ita perceptis, ſi cui per ſumptus liceret, nec modus diſplіceret; *poterit ad Philoſophiam* (non *illam diffuſam Theologis, Medicis, & Magiſtris in* Scholis neceſſariam) *ſed quæ magis agere, quam ſcire doceat*; & Nobilitati, ipſiq; Reip: Negotijs magis propria eſt: Poterit inde ad Ethicam; Hiſtoriæ ſtudium; & Civilem doctrinam: tunc ad Juriſprudentiam (ſed prudenter, non fuſè,nec confuſè) arteſq; cæteras prudentiæ genetrices ita applicari, nè ambitioſis, vaniſq;

præam-

præambulis, & ſcrupulis paſſim inutilibus (etſi fortè jucundis) cum jactura temporis, quod altioribus ſtudijs tribuendum foret, detineatur. Cum his quoq; equeſtria exercitia, tali Moderatoris accuratione, ſtatutis horis miſceri poſſunt, vt Recreationis loco habeantur, ipſæq; linguæ, quæ jam perceptæ ſunt, vel diſcuntur, continuò exercitentur.

CAPVT XX.

Vti peregrinatio inſtituenda: et quæ in ea Directori obſervanda ſint.

VBi demùm per ætatem licebit; vel ætas ipſa in virtute et literis provectior, & gravior jubebit; poterunt vel vnus, vel plures ſimul ſub vno Præfecto, qualis alibi *in Aulæ Tyrocinio inſinuatus eſt*, ad peregrinationem per Germaniam, Belgium, Galliã, Hiſpaniã (ſi dijs placet) & Italiam per ſesqùi annum, vel biennium, nec temerè diutiùs, ita dirigi; vt famam Generi ſuo indoleq; dignam, vbiq; poſt ſe relinquant; & demùm eos peregrinationis fructus referant, quos Parentes, & in Repub: Viri Prudentes expectant.

Id autem eò fiet faciliùs, & ſecuriùs; quò domi diligentiùs exculti, & ad virtutem liberaliùs formati fuerint. Sic enim ad aſſueta domi exercitia, foris promptè ſequétur illum, qui Magiſtros præficere ritè Noverit, libereq; & diſcretè manuduxerit vltrò ſequaces, Neq; enim morari diù poterunt, vt nè libertas per occaſionem obvias ad in-

ad inexperta vitia trahat, aut illos malæ ſocietates inficiant, aut nefarij Juventutis Corruptores virus ſuum ſpargere queant. Oculo nimirùm circumſpecti Moderatoris omnia ſuſpecta habente, ſed absq; diſsimulatione diſsimulāte; & occaſiones per continuam occupationem avertente. Inculcabit autem identidem, quàm breve ſit præſcriptū tempus, ideòq; modò, vel nunquàm cum fructu eſſe impendendum. Aliosq; modos adhibebit: & ità ex re natâ, & ex campo capto Cōſilio prudenter diriget, ut nè alter intelligat, ab hilariori Societati ſe retrahi, & à ſuſpecto ocio divelli. Hoc ſi advertet; difficilè erit, retinere. Fiet tamen. Si locum mutes: ſi aliquid indulgeas, quò ſecuriùs deindè retrahas: ſi magis ioco, quàm clamore & reprehenſione turpitudinem repreſentes. Vel ita corrigas, quod res docebit, ut dubitet quodammodo, & tamen intelligat, ſe dici. Præſertim, ſi laſcivè quid dictum, aut cogitatum fuerit. Neq; vnquàm integrè debet ſcire, Te ſcire. Quia ſic pudorem exueret, & Te torqueret. Sufficerent autem fortè tres menſes in ſingulis maiorum Principum Regijs commorari. In quibus perperiti diſcretiq; Moderatoris civilē Experientiam in quorundam ibidem Magnatum notitiam, & Nobilium vivendi gerendiq; ſe cognitionem ſufficienter manuduci poſſunt: Linguas perficere: exercitia ſtabilire: mores Nationum, ingenia, proprios affectus et habitus, conſuetudines, et alia utcunq; penetrare: cæteraq; viſu, ſcitu, relatu, aut memoratu digna cognoſcere. Quorum tamen omnium non levia fundamenra jam in Patria poſita fuerint. Quod fieri poſſe, non pauci laudabiliter reipsâ comprobârunt.

CAPVT XXI.

De publica Nobilitatis Inſtitutione, & Academia inſtituenda. De medijs ad fundandum. De fructibus, qui Patriæ inde oriri poſſunt.

ATq; hæc de Singulorum Educatione. Quid ſi publica aliqua Nobilis Juventutis Inſtitutio placeret? Publicè introduci poſſent meliores Mores: eliminari multa Scandala et Errores. Neq; contemnenda pecuniæ vis Patriæ ſalvari; quâ nimijs iſtis et nimis diuturnis peregrinationibus non illubens expoliatur. Hanc autem neq; gravi admodum ſumptu inſtitui poſſe; neq; ſemel rectè inſtituta gravi onere continuari: vel ab Sjnarum Gentilium (vt de quibusdam Chriſtianorum huiusmodi Inſtitutis taceam) exemplo conſtat. Nam (niſi P. Trigautius viſa referret) quanta in publicis apud Sjnas Academijs Adoleſcentum multitudo moribus, literis, & ijs, quæ ad Regimen faciunt (domi inſtitutorum) ſingulis annis probentur, vix credi poſſet. Adeoq; hic mos invaluit, vt vniverſa Juventus hic Honorum fundamenta, Literas et Mores habere ſe, docere debeat, vel nullum planè Magiſtratum, neq; ipſas pro Rege Dignitates, quarum plures ſunt, ſomniare: niſi in examine perſiſtat. Quo factum: vt ab anno quingenteſimo quinquageſimo ante Chriſtum natum, ſi eorum Annalibus credimus, vt plurimùm in pace vixerint, neq; *Statum Reip: unquàm mutauerint.* Imò odium Peregrinationum, quo ſemper arcuerunt peregrinos ab ingreſſu in Regnum; & cohi-

cohibuerunt ſuos ab egreſſu, Paci multùm contuliſſe, mihi planè nullum dubium relinquitur.

Fiunt ergò tot tantaq; ad pias cauſas Donationes. Fiunt aliæ non neceſſariæ. Applicantur huc in pœnam delicti factæ exactiones. Neſcio autem, ſi qua alia magis pia cauſa, magisq; neceſſaria dici poſſit; quàm quâ feri, & inſulſi, vel improbi mores, ab otio vt plurimùm cauſati, partim ab Hæreditaria Ignorantia tranſmiſſi, in Agreſti, & Vrbifuga Nobilitate propiùs ad Humanitatem reduci poſſent? Ex qua, inquam, ſecurior Religionis Conſervatio, certior Reip: Salus; vera Civium Quies; tribulentorum ingeniorum Sedatio; Religioſorum, & miſerabilium perſonarum, Bonorumq; omnium Tranquillitas; & publicum privatumq; Commodum (quorum neutrum abſq; altero conſiſtit) pendent, & conſequuntur.

In hunc finem Artium omnium, & virtutum tùm Moralium, tùm Equeſtrium, quæ Nobilitatem decent, vel decorãt, Academiæ apud veteres publicæ erant: & hodiè cum incredibili fructu, magnoq; concurſu in alijs provincijs exercentur. Neq, enim Tu Civile Belgium, vt de Gallia taceam, etſi bono Genio felix ſis, adeò præſtas, vel cum Scholaſtica ad Chriſtianos Civilesq; Mores & ad Literas inſtitutione pro Filijs tuisità te cõtentas; quin etiã huiuscemodi aliarum virtutum, quæ ad Nobilitatem requirũtur, publicas privataſq; Academias inſtituas: & publico privatoq; ſtipendio Magiſtros alas! Quin, inquam, paſſim alijs Palæſtris, quas Diſciplinæ Curias appellas, in quibus Immorigeri ad diſciplinandum in viti includuntur, etiam indigeas!

Neq; apud Nos vlla Ruricola Nobilitas Civilium Morum tàm Inimica eſt, aut Equeſtrium Exercitationũ adeò

 con.

Contemptrix, quamvis literas non amet, ut verâ virtute, ad quam dirigi debet, affici non videatur; vt ad eiusmodi Nobilium Exercitiorum Academiam Filios non mitteret potiùs, quàm inertes gravi cū onere domi toleret. Si nimirùm ità aliqua ordinata foret, ut pro Singulorum Ingenijs, & Facultatibus virtutes, & locus invenirentur. Incitaret quàm maximè. ſi aliquid, & pro Tenuioribus ampliùs, ex fundatione gratis haberetur.

Ad fundandum, unicum fortè non valdè magni pretij Dominium ſufficeret, quo Principis liberalitate privati alicuius opes ſæpè minùs neceſſariò augentur. Sic Locus ordinari poſſet: ſic Exercitori, Magiſtris, & Miniſtris ſtabilia ſalaria conſtitui. Qui etſi aliundè pleriq; conquirendi ſint primò: facilè tamen acquiri poſſunt. Et ab his deindè alij inſtrui, qui ſuccederent. Deberent autem de honeſta et commoda ſuſtentatione certi eſſe; & congiarijs prætereà, ſive Diſciplinæ præmijs (quanquàm minoribus, quàm apud Exteros in peregrinatione ſine fructu ſæpè fieri ſuevit) Magiſtri à Diſcipulis incitari.

Eſto pro Exemplo Nobiliſsimum Bohemiæ Regnum Præcipuum Sacri Romani Imperij Membrum. quod dum poſsit velit. Cum indigeat non contemnat. Quam enim facilè hic ſit Fiſco Dominium unum applicare ad hunc uſum: omnes ſciunt. Et in quas magis pias cauſas non inſufficientem nummũm quantitatem impendat; quam ad eas partim à degeneribus Regni Nepotibus, partim a non firmiter inſtitutis Filijs, unde facilè fuêre lapſi, ſuiq; ſaltem juramenti collatione Tyranno nuper Friderico vires Animumq; addidêre, in pœnam delicti collegit, & colligit? Sic enim à deſtructi boni publici Authoribus vel Auxiliatoribus, eiusdem reſtauratio reduceretur. Certè ſi cui ex tanto Procerum numero Curationis, Promotionis, & protectionis onus et honos arrideret; nec Directores, nec

Magi-

Magiſtri, neq; diſcipuli deforent. Atq; ampliſsimum cele-berrimumq; Emporium literarum, morum, earumq, virtutum, quæ Nobilitati ſunt propriæ, facile ita ordinari poſſet: ut conſuetudine paulatim introductâ, pudori foret Nobili, hic non fuiſſe exercitatum. Prodirent ſanè non aliter ac ex Equo Troiano armati Milites, & quantum per tempus, & ætatem liceret, non ignari Regno Magiſtratus; non inepti Aulæ Miniſtri; non vani dignitatum Occupatores. Pluresq; & citiùs evaderent bello Capitanei & Duces, dum ſinguli nimirùm ad ea, ad quæ Naturâ feruntur, prudenter manuducerētur: nullius Indoles negligeretur. Sic ex collegijs in ordine Eccleſiaſtico, præſertim Romano Germanico prodeunt Eccleſiæ Prælati, Religioſi, Epiſcopi, & Cardinales, Sic multorum feriora ingenia mitigarentur: enormes ignorantiæ eliminarentur: Virtuti viæ apertiùs paterent; vitio occluſæ manerent: pacata forent omnia, dum Rationi magis, quàm appetitui (contra Domeſticum abuſum) parere diſceret imperioſa Nobilitas, ut non tàm facilè in Civilem Publicumq; Statum committeret: Equiſtribus exercitijs, & alijs cum virtute coniunctis etiam Ruri deindè victura delectaretur, & ſeſe ex conſuetudine occuparet, ut nè per otium, tàm facile in inquam, commeſſationes feroſq; & agreſtes mores, nè Achriſtianos, & inhumanos dicam, laberetur.

Sed Platonis, inquit aliquis, Remp: ſomnias. multa dicis, facta quidem laudabilia: ſed factu non parùm difficilia. Nec factu admodum difficilia: nec ab alijs facta parùm laudabilia dico. Cæſar ipſe Principes Juventutis ita inſtrui curavit, & curat. Vt nè tererent tempus in inferioribus, ubi jam apti ad altiora viderentur: reſecavit enim inutilia in Artium, Philoſophiæ, Jurisprudentiæ, Hiſtoriæ, Ethices, & Politices Studijs; ut ad utiliora tempus ſupereſſet, & animus. Qui, ſi ge-

neroſus eſt, retunditur nimijs ſubtilitatibus: niſi ad alia Generi, & Indole magis digna, & propria ſimul manuducatur.

Lacedæmonij Filios ſuos in agrum mittebant. ubi multi ſimul literis, moribus, linguis, & artibus Equeſtribus, quibus hodierna noſtra Juventus apud Exteros tempus, vel impendit, vel terit, non abſimili modo operam dabant. Neq; redire licebat, niſi benè Cultis, & Exercitatis. Brachmani Indorum Sapientes ſimiles Scholas exercebant: et plùs brevi praxi, quàm alij longâ theoricâ efficiebant. Romani (vti modò Veneti) ſtatuto tempore Juvenibus togam dabant. quod ſignum erat; tempus eſſe agendo ea confirmandi, quæ didicerint, Negotijs & conſilijs paulatim adhibebant.

An ſi Sacrum Imperium judicaſſet fieri non poſſe: vt Principum Filij tot linguas intrà annum ætatis decimum quartum perciperent: ita conſtituiſſet?

Nonnè Belgæ præter vernaculam ſugunt cum lacte Gallicam, Hiſpanicam, multi etiam Italicam? nonnè in omnibus diverſarum Nationum confinijs vtramq; nullo labore diſcunt omnes; quia conſuetudo eſt: & vtrâq; colloquuntur domeſtici? Quidni ergò eadem nobis liceant, cum regulâ & moderamine: quæ licent alijs; vel etiam eorum quædam ex vſu & inadvertenter? Si vſus eſſet: facile licerent. Nam agimus libenter ea, quæ in vſu eſſe videmus. Et ad quæ ducimur, ijs paulatim itâ aſſueſcimus, vt ægrè ad inexperta deindè diſtorqueri poſſimus. Sed quia contra Naturam, noſtrarum rerum inimici ſumus, jactamus aliena. Adeoq; noſtra minuimus ipſi: vt apud Exteros mediocrem quamvis domum aperto ore admiremur: vel ad haram aliquam videndam,

aut.

aut ruinoſum murum, ad multorum miliarium iter à ſuarum rerum Laudatoribus induci nos permittamus; Regia apud nos palatia, & quæ in ijs ſunt admiranda, & quã plurima alia, quæ plùs admirationis habent, quàm externa, domi vix videre deſideramus. Interroga Germanum Artificem de arte ſua. Sanè pro cubitu, quod aiunt, digitum dicet. Interroga alium, qui vix per tranſennam in artem aliquam inſpexerit; ex digito Cubitum conſtituet. Hinc eſt, quod Nobis diffidimus; & noſtro damno non credimus, fieri poſſe; quæ fieri nõ videmus.

Da ergò Sapienti occaſionem, inquit Sapiens, et addetur ei Sapientia. Doce Juſtum, & feſtinabit accipere. Et tandem quoq; ſat bellorum erit; vt poſſimus in ſanam mentem redire: Rempublicam redintegrâre, & Viros fortes domi ad patriam virtutem inſtituere: nè opus ſit, foras ad peregrinam malitiam ablegare. Nolo autem docere; quod jam Viri Magni privatim quidem; ſed in publicam vtilitatem laudabiliter incepêre. In bonum Eccleſiæ; qui montem Syon Pragæ moderatur. In Jmperij Regniq́; commodum; qui Caroloſtainium in Regno poſſidet. Atq; hoc non ſine Deo. Nam Syon Eccleſiam denotat: & Caroloſtanium, ſic dictum à Carolo IIII. Jmperatore, qui multa Jmperio ſalutâria providit et ordinavit, rectè Jmperium ſignificat. Habent itaq;, vt ſic vtriusq́; Regiminis meliora, quàm olim, Seminaria haberentur, occaſionem & facilitatem in manu hi Sapientes Proceres, vt Sanctam intentionem, & Sacrum inſtitutum, in vniverſaliorem Regno vtilitatem promoveant. Promovebunt autem: Si inſinuatam Nobilis Juventutis publicam inſtitutionem promoverint. Quod non minùs, ac Styriæ Proceres poterunt. Qui etſi

commu-

communem locum nondum ordinârint: alunt tamen ſtipendio publico Linguarū,& Equeſtrium Artium Magiſtros.

Sed eſto Ordinata jam Academia: Sive Ludus Hippodromus, Artiumq; Palæſtra. An eam inhabitare Nullos pudebit? An omnes volent? Eſto etiam hoc. Non eó minùs poterunt acceſſum habere? Et mollior paulatim erit hæc Rationis durities; ut neminem pudeat benefacere, cum plurimos benèfacere diù viderit. Et eorum, quorum Proceres non pudet: Cæteram Nobilitatem non pudebit. Et quis Parentum non mallet, hic filij Indolē ad Heroica exerceri, ipſo fortè Naturali Impetu rapiente; quàm eum gravem Sibi, gravem Subditis torpeſcere, & domi tolerare? Vel nil aliud diſcere, quàm miſellos vaſallos, ante delatum imperium, in ſpem paternæ mortis, imperioſè torquere? Vnde nunquàm poſtmodum rectè regere ſciat: qui regi nunquā didicit. Nam præeſſe neſcit, qui obedire neſcit. Forſan times Filij Generoſitatem diſciplinâ retundi? Erras. Furor retunditur; non Generoſitas. Furor enim eſt, temerariè in quodvis periculum ſeſe præcipitare. Generoſitas Rationem priùs in omni actu conſulit: quod hic diſcent. An magis generoſum dices Militem, qui exequitur: quàm Ducem, qui retrahit, ubi Ratio, vel Neceſsitas ſuadet? An magis generoſum putas unum eundemq; virum, quando juvenili ardore ad quodvis audendum paratus eſt: quàm quando longâ informatione, & experientiâ didicit; pertimeſcere mala, quæ accidere poſſunt? & ſine temeritate præcavere potiùs, nè noceat: quàm absq; neceſsitate armis tentare, quod ratione obtineri poteſt? Sanē è contrariò malè agis: quoties ad Themidem nequicquàm cogis, Cuius Natura ad Bellonam rapitur. Hoc autem facis; quòd Inclinationem non noſcas, vel noſcere nolis.

In ſolis

In ſolis literis Generoſam Mentem ſupprimi, verum eſt, quæ ad Heroicas Virtutes, & vitam magis activam nata eſt: ad quam vnusquisq; absq; errore, ſimul cum literis commodè manuduci poteſt, dùm eſt, qui Singulorum Ingenia cognoſcit, nec ad invita fruſtrà impellit? Et cur ultrò Nobis imaginamur difficile: Cuiùs deinde apud Externos à Privatis Equûm Domitoribus introductam facilitatem, cum maiori expenſâ, & hinc inde, quod in uno loco farſan hærere diù nequeamus, tumultuariè et exiguo cum fructu experire, & laudare debemus??

Sunt ſanè Academiæ tales; quorum Exercitores ex ſolo convictu, & quæ Scholares, quos Diſcipulos vocant, pro inſtitutione præmia contribuunt, Quadraginta, Sexaginta, pluresvè Equos pro palæſtrâ, numeroſamq; familiam alunt. Obligati ſunt inſuper, Artium cæterarum Magiſtros ſuo ſumptu conducere: vt vnâ ſolutione præſtitâ, Singuli Contubernales habeant, in quæ diſtinctis horis incumbant: Nullum autem tempus fruſtrà fugiat; prout Singulorum Ingenijs, partim ſimul, partim ſucceſsivè Artes arriſerint, aut convenerint. Magiſtros, inquàm, ordinant, qui pro *captu Singulorum, doceant Linguas, Ethicam, Hiſtoriam, Politicam, Arithmeticam, Muſicam, Mathematicam, Iurisprudentiam, Militarem Diſciplinam, ad fides ſaltandi Artem, diverſa Arma tractandi Dexteritatē, in Equum ſaliendi Agilitatem, Equos Domandi Peritiam:* Et quam plura tali ordine fiunt, ut nullo onere fieri experiantur. Imò qui foris habitant, quando recreare ſe cogitant, ad Academiam accedunt; Vt Academicorum ſeriò Agentium, vel Recreationis loco

 perce-

percepta Repetentium Spectatores ſint; vel jucundorum laborum Socij.

Eadem ſi fierent in Patriâ, apud Exteros tot annis, per Seductionis paruiq; progreſsus pericula, cum grandi ſumptu, & intolerabili Parentum curâ, hærere non haberet opus; neq; tàm tardè ad Aulam, ad Negotia, ad Principum ſervitia, ad Parentum Solatia, vel non fruſtrà ſæpè exſpectaretur Germana Nobilitas. Sed ex tempeſtuoſis periculoſorum peregrinis diverſorum Morum Oceanis, eò plures, eòq; Solidiùs, citiùs, atq; ſecuriùs, ſuam in Laudem, ſuorum in Gloriam et Lætitiam, Patriæq; vtilitatem, redirent: Quò maiori cum Diſcretione in Patria ad Eminentiſſimæ Diſcretionis Navem, earum nimirùm Rerum omnium, quæ peregrè obventura, agendaq; erunt, directi fuerint. Hoc enim Diſcretionis Gubernaculo quidquid caret, virtus nullatenùs eſſe poteſt: Neq; tàm altum de quavis virtute quicquam dixeris, quin plura ſuperſint, quæ de Diſcretione dicas. Manet itaq; DISCRETIO Humanarum Actionum ſal: Magiſter, Menſura & Regula, Dux, & Theſaurus omnium virtutum: Bonarumq; Actionum Perpendiculum, Initium, Medium, &

FINIS.